



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 7. Vtrum matrimonium contractu[m] per Procuratores, sit
Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Denique obijcit Canus multos Canones Pontificum & Conciliorum. Sed hi nihil aliud habent, quam in matrimonio adhiberi debere benedictionem sacerdotalem; quod omnes docent: nusquam autem insinuat matrimonium sine hac benedictione non esse Sacramentum, aut verum matrimonium.

DVBIVM VII.

Vtrum Matrimonium contractum per Procuratores inter absentes sit Sacramentum?

40
Caietanus
negat.

Caietanus Tom. 1. Opus. 12. quaest. 1. De Matrimonio, docet matrimonium per Procuratores, vel per litteras contractum, non esse Sacramentum, donec per praesentes coniuges, saltem tacite, ratificetur.

Afirmatur

Sed dicendum est: Multo probabilius & verius esse huiusmodi matrimonium esse verum Sacramentum. Est communis ferè sententia Doctorum. Probatur ratione, ex Concilio Tridentino supra allata: Sacramentum enim Matrimonij nihil habet supra contractum civile, quam gratiam; Dominus enim ipsum contractum in Sacramentum euexit: atqui hic contractus per Procuratores est verum matrimonium, quatenus matrimonium est contractus civilis, vt fatetur Caietanus, & definitur Cap. ultimo, in 6. de Procuratoribus: ergo est verum Sacramentum.

Obiectio
Caietani.

Dices Primò: Ex Caietano, Nullum aliud Sacramentum potest suscipi per Procuratores: ergo nec Sacramentum Matrimonij.

Soluitur.

Respondeo esse disparem rationem: quia nullum aliud Sacramentum consistit in contractu civili; hoc autem consistit in ipso contractu, cuius est ea natura vt & per litteras & per Procuratores fieri possit; sic vt obligentur, nõ ipsi Procuratores qui alieno nomine agunt, sed illi pro quibus agunt, quosve representant. Aliorum Sacramentorum actiones per alios exercita: vel suscepta: nõ habent vim, nisi in eos quorum sunt; vnde nõa possumus per alium baptizari aut confirmari &c.

Obiectio.

Dices Secundò: Hinc sequeretur posse hominem recipere gratiam, dum dormit: vt, si adolescens dormiat, dum eius Procurator contrahit cū puella. Similiter quod possit peccare mortiferè, dum dormit; nempe si tunc non sit in statu gratiae.

Soluitur.

Respondeo: Hæc non esse absurda. Potest enim conferri gratia puero carenti vsu rationis; & adulto si ante legitime dispositus baptizetur in somnis vel in amentia. Et confirmatur: Nam talis contractus est causa, cur in dormiente nascatur obligatio: quidni etiam possit esse causa, vt detur ei simul gratia, qua huic obligationi debite satisfaciat? Vnde debent se sponsi ad gratiam disponere, quando probabiliter putant suos Procuratores conuenturos.

DVBIVM VIII.

Qualis est ista gratia, qua per Sacramentum Matrimonij confertur?

41
Est hæc
gratia quæ
duplex.

Respondeo: Primò conferri gratiam habitualem seu augmentum gratiae ex opere operato: vnde etiam potest ex attrito facere contritum, & conferre primam gratiam, quando quis bona fide existimabat se esse in gratia; sicut dictum est de alijs Sacramentis, quæ dicuntur Sacramenta viuorum. Ratio est; quia quod per se est efficax gratiae, semper eam confert, si ex parte subiecti non

sit impedimentum, ipsumque subiectum sit legitime dispositum: Attritio autem, prudenter existimata contritio, est sufficiens dispositio in omnibus Sacramentis (excepta Eucharistia) vt supra dictum est.

Secundò: Datur auxilium speciale ad mutuam dilectionem Christianam seu spiritalem.

Tertio: Datur auxilium ad remedium concupiscentiae, nempe vt honestè matrimonio vtantur, sese mutuo sint contenti, & non quarant illicitas extra matrimonium voluptates.

Quarto: Datur auxiliu ad prolem in fide Christi & timore Dei educandam. Vnde sepe monendi sunt coniuges, vt gratiam, quam in hoc Sacramento acceperunt, excitent.

CAPVT III.

De Sponsalibus.

DVBIVM I.

Quid sint Sponsalia?

Notandum est: Sponsalia dici à spondendo; idè; vel quia olim veteres per stipulationem, quæ & sponsio dicitur, futuras sibi vxores sponderent, vt vult Couar. 1. p. c. 1. vel quia vir & mulier sibi mutuo spondent matrimonium, aut parentes illorum nomine. Hinc mulier dicitur sponsa, quasi à parète, vel à se alteri promissa; & vis dicitur sponsus, quia se ipse promisit, vel (vt quidam volunt) quia ipsi sit promissio. Cum autem in ipso matrimonij contractu etiam fiat quædam promissio, nempe futurae copulae (saltem implicita) factum est, vt coniuges, qui matrimonium contraxerunt, ante consummationem à parentibus sponsi vocentur; post consummationem, coniuges, maritus & vxor; & matrimonij consummatio Nuptia. Vide Hieronymum in cap. 1. Matth. & Gregorium homil. 16. in Euangelia. Citantur 2. 7. quaest. 2. Can. Coniuges. His positis:

Respondeo: Sponsalia, strictè accepta, esse futurarum nuptiarum repromissionem. Vide Couar. 1. p. epitomes c. 1. Dico, Futurarum nuptiarum, id est, futuri contractus matrimonij; Nuptia enim hæc accipiuntur pro ipso matrimonij contractu, qui promittitur in sponsalibus. Dico, Repromissio, id est, reciproca seu mutua promissio: nam antequam accedat alterius promissio, nõ cõsentur esse sponsalia. Vnde si Petrus promittat Catharinae matrimonium, & ipsa acceptans promissionem cupiat deliberare, nascitur quidem in Petro obligatio simplicis promissionis, sed nondum sunt sponsalia, donec Catharina consentiat; quæ si diutius expectet, Petrus à sua obligatione liberatur, quia non aliter intendit se obligare.

DVBIVM II.

Quenam requirantur ad sponsalia?

Respondeo & Dico Primò: Requiritur ætatem septennij expletam in vtroque. Patet ex Cap. Litteras, & Cap. Accessit, de Desponsatione impuberum: vbi etiam expresse dicitur, septennium debere esse expletum. Ratio, cur Iura hæc statuerint, est; quia raro ante hoc tempus est sufficiens iudicium seu prudentia ad huiusmodi obligationem. Vide D. Thomam q. 43. art. 2.

Petes;